

2675

CODICES

2676

ximil. Transylvani, qui *Carolo V. Imp.* a Secretis fuit, ad *Matth. Langium* Card. Archiep. *Salisburg.* data *Vallisoleti 24. Octobr.* 1522. de *Navigatione Ferd. Magellanis*, quae extat etiam typis *Rom. F. Minitii Calvi* in 4. et *Basileensibus. Cod.* (608) p. 216. habetur *Portio Sermonum* affectorum, cui *Roffii* Possessoris manus praemittit: *Dicunt hos Sermones esse compilatos a Beato Johannebus in Kralowecz Kastro Tempore regis wenceslai. Cod.* (609) p. 162. invenias brevem *Tractatum bohemicum de Cura Fringillarum*, cujus Autor praecipuus dicitur *D. Zdenko de Malowecz.*

DCCXXIV.

845 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 272. 8. minutissime exaratus Sacros Sermones comprehendit, habitos potissimum Diebus Dominicis et Ferialibus, quamvis etiam quidam in Commemoratione SS. puta *Leopoldi, Barbarae, Nicolai* &c. dicti sint. Initium ducitur a *Dominica Septuagesimae*. Quibusdam Sermonibus Orator locum praefixit, quo ad *Populum* dixit. Ita: *In Laybaco Anno 1498. In Sbacz* (Tyroleos) 1496. *In Gottbico* bis, videlicet *die b. Altmanni* et *die S. Martini*. *In Rossacz* et in *Armstarff* seu *Arnsdorf*, quae loca sunt inferioris *Austriae*. Pars *Sermonum* adumbrata est tantum, non item elaborata.

DCCXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. 178 XV. Folior. 221. f. currente calamo partim lineis longis, partim per duas columnas scriptus frequentia complectitur: I. *Enarrationes Epistolarum diebus Dominicis in Ecclesia legi solitarum a Dominica I. Adventus usque ad Dom. XXIV. post Pentecosten.* Interpretatio *bobemica* verbis sacri Textus plerumque superscripta, si non auctoris, possessoris faltem patriam prodit, qui etiam inferius nominabitur.

II. fol. 146. sequuntur *Sermones II. de Corpore Christi* et de *S. Vito*, quibus adjectum in calce nomen *Rossa* probat, Codicem hunc olim ad *Sacerdotem illum Wenceslaum Chrudimensem* pertinuisse, cujus jam toties mentio facta est.

III. fol. 154. Explicatio quarundam vocum difficiliorum, quae in *Evangelis* et *Epistolis* occurrunt, a secunda manu inscripta: *Vocabularius utilis pro quolibet Sacerdote*. Incipit ab expositione vocum *Osana, Edictum, Diversorium, Libertini* &c. non levi argumento ruditatis illorum temporum.

IV. fol. 172. p. 2. rubro Incipit *glosa super cantica canticorum Orostij*. Initium est: *Postquam a paradisi gaudijs expulsus est genus humanum* &c. *Glosa ipsa incipit: Angelos ad eam dominus, patriarchas ad illam et prophetas miserat* &c. *Commentarium in Cantica Orostio* tributum a *Tribemio Eru-*